

Linnæi Lutetiæ, ubi mensem commoratus est, familiaris fuit et quotidianus cum Bernardo usus, et inde postea inter ipsos existimationis, amicitiae, officiorum mutuatio, ut et epistolarum, quarum pleræque post reditum in Sueciam Linnæi scriptæ, sed paulatim decursu, ut fit, temporis rariores, ac denique omnino intermissæ, quamvis vita utriusque parallela, ut ita dixerim, fluxerit, eodem fere tempore denique extincta.*

EPISTOLÆ.

ILLUSTRISSIMO VIRO

CAROLO LINNEO, SUECO,

MEDICO ET BOTANICO CLARISSIMO,

S. P. D.

ANTONIUS DE JUSSIEU,

MED. D. ET BOT. PROF. REG.

GRATISSIMO animo, Vir Illustrissime, tuum de Musâ opusculum† accepi, avidusque perlegi, mihi que maxime arrisit, tum ob plantæ singularitatem, tum propter observationis novitatem quâ plantam a me in Hispaniâ visam, floridam fructiferamque, apud Batavos nec florere, nec fructum dare suspicarer, cum eam in Horto Regio Parisiensi nec florentem nec fructiferam huc usque viderimus. De cæteris quæ recenses‡ opusculis a te editis nullum ad me pervenit, remque mihi pergratam facies, si absque ullo tuo dispendio meque ea solvente ad nos velis mittere. Conscriptum a te Hortum Cliffortianum, Floramque tuam Lapponicam vehementer exoptamus, tantoque magis illud opusculum ultimum nos pungit, quod viros Academicos hanc in Septentrionis plagam Rex noster recens miserit,§ quibus plantas hac in parte inquirentibus pharus esset liber tuus, ut illarum ad nos aut semina, aut ramos siccos perferant; quapropter si brevi operi huic finem imposueris, duo a te poscimus exemplaria, ut cætera de quibus mones solvenda. Si quidpiam etiam te dignum e prelo nostro Parisiensi editum putes, maximâ cum voluptate mittendum ad te curabimus. Vale, vir Illustrissime, plurimamque fratris mei salutem ex me recipe. Parisiis Kalend. Julii anni 1736.

* Bernardus de Jussieu die 6^o Nov. 1777 obiit; Linnæus 10^o Jan. 1778.

† *Musa Cliffortiana, florens Hartecampi, 1736, prope Harlemum.* Lugd. Batav. 1736. 4to.

‡ Hinc videtur præcessisse prior, quæ deficit, Linnæi epistola.

§ Astronomi ex Academiâ Regiâ Scientiarum Parisiensi, ad metiendum, tum sub æquatore, tum polo pro-